



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXIX. Quid Aristoteles, vel antiqui Philosophi de necessitate concursus
præuij in causis secundis naturaliter agentibus senserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

sentanea: tamen quia ille locus cum alijs collatus non est tantæ autoritatis, in illo examinando non multum laboraui, & taci. à D. Thomæ reuocatum dixi, quia reuera in nullo alio loco similibus verbis vsus est, neque aliquid fluens per modum intentionis in Dei concursu interuenire dixit. Nunc autem motus autoritate Capreoli, & Caietani attentius consideravi discursum illius articuli, & planè intellexi, in quarto illo modo agendi, quo D. Thomas dicit, creaturam agere per virtutem Dei, non agere de virtute instrumentaria à Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei, vtiam ponderaui, & ex ipso contextu manifestè ostendi. Estque modus ille loquendi satis proprius, vt D. Thomas ipse ex professo declarat 1. p. quæst. 36. art. 3. ad 4.

Capreolus.
Caietanus.

21.
Rei. citur.

Hinc vltiùs animaduerti cum proportionem intelligendum esse, quod idem D. Thomas in dicta solutione ad 7. maxime docet, non potuisse communicari creaturæ vt ageret sine operatione Dei, quia licet illi dari potuerit virtus propria, non tamen vis illa qua agit vt instrumentum primæ causæ, quæ quidem vis, vt declarauit, non est nisi ipsa virtus diuina adiuuans virtutem creatam ad agendum: igitur ideo non potest virtus creaturæ talis esse, vt non indigeat operatione Dei, quia non potest esse ipsamet virtus Dei, neque potest illi dari, vt sit vniuersale efficiendi principium, vt idem D. Thomas subiungit. Ex quibus tandem probabilissimè dici posse existimo, etiam in principio illius solutionis, non loqui D. Thomam de virtute creata fluente indita causæ secundæ, prius quam agat, sed solum de ipsamet cooperatione Dei, quam comparat D. Thomas motui instrumenti artis, non quia in omnibus seruet similitudinem, sed solum in actuali dependentia à superiori agente: in alijs vero non oportet seruari similitudinem, quia nec causæ secundæ, sunt propriè instrumenta, vt infra dicà, nec exempla oportet esse in omnibus similia.

22.
Confirmatur.

Cum ergo D. Thomas ait, præter virtutes naturales, & permanentes rerum naturalium, id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agit esse vt intentionem solum, &c. de actuali quidem motione Dei intelligendum puto, non tamen ita fieri in re naturali, vt fiat in ipsa causâ secundâ, vel virtute eius tanquam in subiecto recepta (nisi quando in illa recipitur propria actio, sed ita vt generaliter, & per se loquendo fuit in re naturali quoad actionem eius, quia id, per quod immediatè Deus impat causam secundam ad dandum esse suo effectui, & ipsamet actio prout fuit à Deo, & ideo dicitur esse quali motio artis, vel ad modum intentionis. Et hoc modo facillè creditur, & rectè intelligitur, non potuisse communicari creaturæ agere hinc virtute principali Dei mouente, sed adiuuante ipsam. Procedetq; exemplum D. Thomæ cum proportionem quadam: nam sicut instrumento artis, vt securi, tribui nequit, vt absque fabri motione per se scindat, ita nec causis secundis, quæ veluti instrumenta diuinæ artis sunt, tribui potest vt sine superni artificis influxu efficiant. Ad hunc ergo modum potest ille locus exponi, vt nec assertioni nostræ, nec doctrinæ eiusdem authoris in alijs locis, imò in eodem articulo in corpore contrarius sit. Si autem alicui visum fuerit vim aliquam inferri illi literæ, potest perire in priori responsione à nobis data, nam sine dubio sententia D. Thomæ in alijs locis satis perspicua est, & in eisdem modum loquendi non context; quoad sensum doctrinæ saltem enunciant clariùs loquendo, quod maxime ex his, quæ de causis liberis dicemus, confirmabitur.

CAPIT. XXIX.

Quid Aristoteles, vel antiqui Philosophi de necessitate concursus præij in causis secundis naturaliter agentibus senserint.

Superest vt de Philosophis, præsertim de Aristotele, pauca dicamus. Nam P. Alvarez ita dicit, P. Alvarez. Verba Aristotelis. Verba Augustini. Verba Thomæ. Ad id autem probandum adducit hæc verba Aristotelis 8. Phisic. cap. text. 33. Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum, illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, sine primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sine hoc, vt baculus, non mouebitur, nisi moueatur ab homine. In quibus verbis sentit Aristoteles quoddam baculus non mouebit aquam, nisi moueatur à manu, ita neque causâ secundâ ager aliquid, nisi moueatur à prima. Habetq; vim horum testimonium iupposito alio principio eiusdem Aristotelis, quod agentia creata non mouent nisi mota, 7. Phisic. c. 1. & lib. 8. c. 5. & intelligit de proprio motu recepto in ipso agente, quia inde concludit deueniendum ad vnum primum mouens immobile. Tandem allegat Aristotelem in lib. de caus. propof. 1. & 16. dicentem virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum, & coniungere illas suis effectibus.

Sed in primis in his locis nihil inuenio ab Aristotele dictum de modo concursus primæ causæ cum secundâ: nam in prioribus locis non tractat de omnibus causis efficientibus, sed de mouentibus à motu phisico. Vltimus autem locus non est Aristotelis, sed vel Procli, vt quidam volunt, vel alicuius incerti authoris Arabis, & D. Thomæ in principio Comment. eiusdem libri sentit. Deinde neque priores propositiones in vero sensu applicatæ cum proportionem ad quamcumque causam efficientem, neque posteriores aliquid obstant assertioni positæ, sed illam potius confirmant, vt statim declarabo. Prius tamen aduerto non satis constare ex doctrina Aristotelis quid ipse senserit de immediato concursu primæ causæ ad omnes actiones causarum secundarum. Nam in lib. de Mundo ad Alexandrum Dubitatur versus finem, id planè negare videtur ab illis verbis. Reliquum est vt summam differamus de causâ quæ omnia conuenit, & de qua inquit: Vetus fama est, & quidam hereditaria mortalium omnium vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta, nec verò illa natura per se scindat orbem salutem, quam ipse ferat. Nihilominus statim latissimè docet Deum non immediatè ac per se ipsum omnia facere, neque omnibus præsentem esse, sed in sublimi loco existentem inde virtutem suam diffundere, primò quidem, ac præcipuè in celestia corpora, & interea efficacius in ea, quæ sibi propinquiora sunt, ac proinde hæc terrena diuinam virtutem (vt ait) infirmius participare. Vnde sic concludit. Itaque rectius est iudicare, quod etiam conueniens & Deo maxime decorum intelligitur in celo virtutem esse constitutam & plurimum remotis, vt vno verbo rem absoluiam, & omnibus in vniuersum salutem afferre, quam penetrare, & eo frequenter accedere, vbi neque homines, neque liberaliter ipse per se conficeret, quæ apud nos essent. Quod postea exemplo Imperatoris humani latè declarat & suadet, ac iterum concludit. Grauius, & decentius existimabimus Deum constitutum esse summo in loco, & virtutem eius per vniuersum mundum diffundi Solem, & Lunam verjare, & celum totum conuolare, auroremque esse salutem eorum quæ in terra continentur. Et postea declarat illo simplici motu Deum hæc omnia interiora operari, & hoc putat ad efficaciam virtutis eius pertinere. Et miraturum faciat, Naturâ diuinâ de

simplici quodam rei prima motu proximo largitur, atque de
hinc iterum ad remotiora quoad per vniuersum transcat. Aliud
enim ab alio motum, & hoc rursus aliud videtur agitare cum
mundo.

Ex quibus euidenter apparet Aristotelem non
credidisse, Deum per seipsum, & immediatè ope-
rari omnia causarum secundarum opera immédia-
tione, vt aiunt, suppositi, sed ad summum immé-
diatione virtutis. Imò nec de hac immediatà virtute
sensisse videtur esse aliam ab influentia celo-
rum, quæ ab ipso Deo mouente celum originem
ducit; & ideo virtus etiam dicitur, quia per virtu-
tem eius efficitur. In hoc autem Aristoteles graui-
ter errauit, & de Deo, & de efficientia eius humili-
ter ac indignè sentit: ideo tam de illo, quàm de aliis
Philosophis ita dicentibus, merito dixit Albertus
in i. d. 45. art. 3. Quidam Philosophi excluderunt
voluntatem Dei ab operibus naturæ, dicentes eum
tantum posse mouere primum mobile, alia verò moueri
diuersimodè secundum distantiam ab ipso, & illi, qui vanita-
tem sequuntur, in vanitate obierunt, & obcuratum est cor
insipientium. Sicut Tullius qui negat præscientiam, vt sta-
bilitat casum, & fortunam. Et Commentator super Physi-
cam, & Metaphysicam, qui negat Deum immediatè operari
in quolibet, vt stabiliat vniuersum propriam actionem secun-
dum propriam naturam quam habet, & in i. d. 3. art. 1.
Aristoteles coniecturas dissoluit.

Cum ergo Aristoteles & eius Commentator in
errore versatus fuerit, nullum argumentum effi-
cax ex eius doctrina sumi potest: nam si omnino
negauit influxum causæ primæ in effectus causa-
rum secundarum, tam immediatione virtutis,
quam suppositi, vt Albertus indicat, profectò ne-
que concursum præui, neque simultaneum ad-
mitit: si autem posuit causam primam influere in
effectus causarum secundarum, saltem immédia-
tione virtutis licet non suppositi, vt Fonseca sen-
tit, & verba Aristotelis indicant, tunc mirum non
est, quod posuerit præuium influxum in causam,
sicut nos capite sequenti dicemus de influxu celo-
rum, seu causarum creatarum vniuersalium, quia
præter illud non posuit concursum simultaneum:
vnde si virtus increata Dei non operetur per seip-
sam immediatam actionem causæ secundæ, nec
causæ secundæ sola sua virtute illam efficit, necesse
est, vt aliqua virtus creata addatur causæ secun-
dæ, quæ habeat vicem Dei, & cum causæ secundæ
operetur.

Iuxta hunc tamen modum ponendi præuium
influxum in causam, tollitur concursus simulta-
neus immediatè procedens ab ipso Deo, sicut Ari-
stoteles illum negauit. Vnde à contrario sumimus
efficax argumentum. Nam ideo Aristoteles posuit
virtutem illam descendente à Deo ad causas se-
cundas, prout ad proximas, & per illas ad remotas,
quia non putauit Deum per se facere omnia, & esse
in omnibus causis, & immediatè immédia-
tione virtutis propriæ, & suppositi operari in omnibus;
ergo è contrario, si immensitatem virtutis increa-
tæ Dei intimè existentis in omnibus causis, & effe-
ctibus creatis cognouisset, & perfectum modum o-
perandi Dei in omnibus immediatè per suam virtu-
tem, & suppositum assequutus esset, profectò
numquam de illa virtute præui, & diffusa cogi-
tasset. Quapropter virtus illa de qua Aristoteles lo-
quitur est, non est talis, qualis ab his Theologis co-
gitatur. Nam ab Aristotele ponebatur vt virtus
quædam per modum actus primi, quæ posset sup-
plere totam immediatam efficientiam causæ pri-
mæ necessariam ad actionem causæ secundæ, ita
vt illa virtus iam non indigeret alio concursu si-
multaneo ipsiusmet Dei, in quo sensu continet il-
la sententia grauissimum errorem in fide, & repu-
gnantiam in ratione naturali, quia si virtus illa,

creata est, essentialiter pendet ab actuali influxu
Dei, vt nunc supponimus esse demonstratum. At
verò Doctores Catholici longè sunt ab hoc errore,
non possunt igitur Aristotelis autoritate iuari,
nec rationem reddere cur nouam præuiam virtu-
tem creatam requirant, si virtutem increatam inti-
mè assistentem, & per seipsam operantem, vt par
est, agnoscunt.

Hic ergo consideratis facilis est responsio ad testi-
monia Aristotelis allegata. Ad primum enim re-
spondemus Aristotelem ibi de mouentibus, & mo-
tibus physico motu, siue locali, siue alternationis,
siue alio simili loqui. In quibus manifestum est, si
plura sint mouentia, & mota inter se subordinata,
sistendum esse in aliquo primo, quod ab alio non
mouetur, ne detur processus in infinitum, & à
primo mouente pendere reliqua, quia si primum
cesset, cetera vsque ad vltimū necessariò cessabunt,
quia primum non mouet vltimum nisi mediante
proximo; ergo si prima motio cesset, cetera defi-
ciunt; è contrario verò non sequitur, si posteriora
cessent, primum etiam cessare à motu, quia non
pendet ab aliis in mouendo. Et ideo dixit idem Ari-
stoteles in eodem c. 5. text. 4. In mouentibus, &
motis per se ordinatis magis mouere primū, quàm
reliqua, quia potest moueri sine reliquis, non verò
alia sine ipso. Verumtamen in his locis, vt notauimus,
semper Aristoteles loquitur de causis ita subordi-
natis, vt vltima tantum immediatè moueat in illo
vltimo motu, ita vt prima solum immediatè mo-
ueat secundam, & per illam tertiam, & secunda im-
mediatè moueat tertiam, & illa quartam, & sic
deinceps. Et sic clarum est, tam vltimam causam,
quam omnes intermedias debere moueri à prima
motu proprio in vnoquoque recepto. At verò subor-
dinatio essentialis inter omnes causas secundas re-
spectu primæ in agendo longè altioris ordinis est,
est enim dependentia immediatè ab ipso Deo, tam
immédiatione virtutis, quàm suppositi; & ideo se-
cundum hanc rationem non pendet à Deo, vt mo-
uente ipsas causas, sed vt coagente, & vt amouente
subiectum illud in quo agit causa secunda, quem
modum coagendi, & mouendi primæ causæ Ari-
stoteles non agnouit, vt ostendi.

Vnde ad aliud locum respondetur, principium
illud, causa secunda non mouetur nisi mota in phy-
cis motibus, propter peculiarem rationem, & im-
perfectiorem inueniri semper veram cum proprie-
tate, supposito communi ordine causarum natura-
lium vniuersi, siue talis motus requiratur in causa
propter applicationem localem, vt fortasse est in
motu celi, siue propter influentiam causæ rerum
vniuersalium, cuius indigentia in his rebus infe-
rioribus, & elementaribus inuenitur. At verò ab-
strahendo à mouentibus, & motis physicis, & lo-
quendo generaliter de causa secunda effe-
trice suf-
ficienter constituta in actu primo cum omnibus
conditionibus prærequisitis ad agendum ante in-
fluxum primæ causæ, non est vera illa propositio in
propriate intellecta de motu recepto in ipsa causa
agente, quia nulla ratio, vel necessitas talis motus
assignari potest, nec terminus propter quem requi-
ratur, vt ex dictis est manifestum. Aristoteles au-
tem si in eo sensu, & vniuersaliter illam proposi-
tionem intellexit, ideo est, quia putauit influen-
tiam primi motoris non attingere immediatè effe-
ctus causarum secundarum, imò nec ipsas causas
secundas proximas, sed solum aliquam supremam,
quam solum Deo esse immediatam cogitauit, & i-
deo posuit illam influentiam peruenire ad vltimū
effectum per aliquem motum omnium causarum
intermediarum, vt iam declarauimus. Illa autem falsa
& erronea cogitatione de medio sublata, imperti-
nens est ille motus ad propriam influentiam prime

Responsio
ad Aristote-
lis loca al-
lata.

Responsio
ad secundū
locum.

causæ per se requisitam ad actiones causarum secundarum, & iam satis explicauit.

8. Quomodo causa secunda dicatur ab Aristotele moueri à prima.

Dixi autem non esse veram propositionem cum proprietate intellectam, quia per quandam metaphoram, ut Fonseca dicit, vel secundum quamdam proportionem, ut ego in Metaphysica dixi, verissima est. Nam sicut in Phisicis proximum mouens, v. g. baculus pendet à manu mouendo, & non mouet nisi motus, altiori modo pendet causa secunda in agendo à prima, nec illa agere potest nisi adiuta ab ista, & secundum hanc metaphoram, vel proportionem solet concursus Dei vocari motio causæ primæ, non quia sit motio propria ipsius causæ secundæ, ut sic, sed quia est motio illius rei, in quam agit causa secunda, & simul est auxilium ipsius causæ secundæ. Nec hæc interpretatio noua est, aut

Caietanus. aut nostra: nam Caietanus i. p. q. 14. art. 13. illam tradit, licet alijs verbis, ait enim cum dicitur causam secundam non agere nisi motam à prima, id posse intelligi vel de motione præiua, vel de cooperatiua, & in priori sensu esse falsam, in secundo autem veram, & ita esse intelligendam; constat autem motionem cooperatiuam non afficere causam secundam, nec illam propriè immutare. Scotus etiam licet in multis locis repetat illam propositionem, *Causa secunda non agit nisi mota à Deo*, ut in i. d. 2. q. 2. & dist. 8. q. 2. & d. 39. q. 5. *S. Contra ista*; nihilominus in 4. d. 1. q. 1. expresse negat causam secundam recipere aliquid à prima, ex vi generalis concursus, & ideo necesse est, ut illud axioma de cooperatiua motione intellexerit. Lycherus etiam, & Cordub. supra allegati, licet à Caietano dissentiant in usu distinctionis motionis præiue, vel cooperatiue ad respondendum Scoti; nihilominus distinctionem ipsam admittunt, dicuntque nunc causam secundam non moueri à Deo nisi motione cooperatiua, & accommodata vnicuique rei, quia Deus liberè agit: dicunt autem aliud fuisse futurum, si Deus ex necessitate ageret, quod nunc nihil refert.

9. Respondetur ad lib. de causis. Ad propositiones allegatas ex lib. de causis (quidquid sit de autoritate illius libri, & de sensu in quo loquitur de causa prima, quod longiore potestulabat disputationem nunc non necessariam) respondeo, virtutem primæ causæ esse virtutem omnium non formaliter, sed effectiue, tum quia confert virtutem omnibus causis, tum quia omnes adiuuat, & cum omnibus operatur, ita ut sine illa nihil per se valeant relique virtutes efficere, quæ omnia vera sunt sine præiua motione, ut iam satis explicatum est. Et similiter dicitur virtus causæ primæ coniungere causam secundam suis effectibus effectiue, quia immediatè ac per se efficit cum illis actiones earum, per quas actiones formaliter coniunguntur suis effectibus. Etenim licet daretur influxus præiuius, non coniungeret formaliter causam secundam suo effectui, quia ex vi illius adhuc maneret causa in actu primo, ut supra ostensum est, & ita semper coniunctio formalis sit per actionem: ut autem causa prima efficiat illam coniunctionem, non est necessaria virtus diffusa, sed per suam increatam virtutem id facit, atque adeo per concursum simultaneum, ut iam supra declaratum est.

10. Conclusio. Ex his ergo propositionibus, & ex alijs, quæ de illo libro referri solent, nihil aliud quam cooperatio causæ primæ cum secunda comprobatur. Et si qui Philosophi rectè de Deo senserunt, hoc modo efficientiam eius in omnibus, & cum omnibus causis explicarunt. Solentque referri Plato in Timæo, in quo nihil clarum inuenio, & Trismegistus in Dialogo Crater. quem videre non potui. Verba autem Platonis in libro, *Quod sit incorruptibilis mundus*, parum à medio, quæ ex Boëtio refert, & commendat, hic referam, quia optima sunt. Deus (inquit) *inspicit singula, paternam curam gerens rerum o-*

mnium, & ut vera fateamur auriga more gubernatoris regit, & gubernat vniuersa Soli, Luna ceterisque sideribus, ac quoque ceterisque mundi partibus assistens cooperando quidquid ad vniuersitatem, rectamque & inculpabilem dispensationem pertinet. Cum ergo ex sententia Philosophorum rectè sententium diuina cooperatio ad eius vniuersalem efficientiam cum causis secundis satis est, solique illi posuerint influentiam præiuiam in causam vel remotam, qui de immediata Dei efficientiam in omnibus actionibus creaturarum non rectè senserunt, negari non potest, quin sententia nostra in vera Philosophorum autoritate solidius habeat fundamentum, quam contraria.

CAPVT XL.

Soluendo rationes assertioni nostræ contrarias, eadem veritas amplius confirmatur.

Cum dictum, & probatum sit ad demonstrationem assertionis positæ, satis esse ostendere præiuium influxum in causam non esse necessarium, si rationes omnes hactenus excogitata ad persuadendam hanc necessitatem inualida ostensæ fuerint, profecto sola talium rationum solutio ad assertionem confirmandam sufficere possit, ac deberet. Hoc ergo superest in hoc apite præstandum, in quo septem rationes primas, quæ in agentibus naturalibus locum habent, dissoluemus.

Prima ratio nitebatur in illo principio, quod causa secunda nihil agere potest nisi in virtute primæ, quod verissimum est: eius autem legitimus sensus est, quem capite præcedenti innuauimus, scilicet, causam secundam non habere virtutem per se, & (ut gentilius ita dicam), solitariè agendi, sed in omni actione sua debere uti in virtute primæ causæ, sine cuius influxu cooperatiuo nihil agere potest, & ita dicitur in lib. de causis in principio, quod causalitas causæ secundæ formatur per causalitatem causæ primæ, quæ scilicet in omnibus Deis immediatis, & intimis, ac principalibus operatur, ut ferè exposuit D. Thomas 2. 2. in 2. d. 1. quæst. 1. ad 4. Ad hoc autem necessarium non est, ut præter virtutem agendi permanentem, & in suo genere efficientem, quam etiam habet à prima causa, recipiat in se aliam virtutem fluentem, quia non in virtute illius agit, sed in virtute increate potentie in ipso Deo existentis. Cuius signum est, quia etiam si virtus permanens causæ secundæ intelligatur affecta alia virtute fluente, vtrique nihil agere potest nisi in virtute causæ primæ, non solum quia vtramque debet, & conseruat, sed etiam quia vtraque pædet essentialiter à proprio influxu immediatè procedente à virtute increata primæ causæ. Vnde dato antecedenti in dicto sensu, negatur consequentia, quia supposita sufficientia virtutis causæ secundæ, est superflua alia virtus creata fluens, neque in illa fundatur illud principium, quia licet causa prima & secunda simul concurrant, & secunda non indigeat alio præiui concursu, nihilominus non concurrunt ut duæ causæ eiusdem generis, neque se iuuantes quasi per accidens ex vtriusque insufficientia, sed ut causæ diuersorum ordinum, quarum inferior est per se sola insufficientis, & essentialiter dependens à superiori, & ideo agit in virtute illius, non verò è contrario, quia superior per se potens est, & sufficiens, ut supra dictum est. Vnde omnia quæ ibi asseruntur ad probationem antecedentis superuacua sunt, & coincidunt cum secunda ratione, ubi expeditur.

Ad confirmationem, cum in ea sumitur, virtutem causæ secundæ esse actum primum, ac prouide esse ad actum admittum potentia, æquiuoca est, & ambigua.